

John Carter Brown
Library
Brown University

The John Carter Brown Library
Brown University
Purchased from the
Louisa D. Sharpe Metcalf Fund

C.6 / 166

Voy. 68 / 6[illegible]

Cap-Français

42

DISQUISITIONES
PRACTICÆ
CIRCA HÆMORRHOIDES,

QUAS, Deo duce & auſpice Dei-parâ, in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur

AUCTOR

PETRUS-LUDOVICUS-MICHAEL LAMOTTE, ex urbe *le Cap-Français*, apud Americanos, ex almâ Univerſitate Nannetenſi, Artium Liberalium Magiſter, & jam-dudùm Medicinæ Alumnus, die menſis Januarii anni 1788.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

Vena portarum, porta malorum. *STHALL.*

MONSPELII,
Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Regis & Univerſitatis Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXXXVIII.

OPTIMO PATRI MEO

NEC-NON

AVUNCULO CARISSIMO.

PATRES AMANTISSIMI,

QUANTA delectatione fruerer, ſi iſtud opuſculum vobis quidquid boni ergà me egiſtis fideliter teſtare poſſet, quantâ benevolentiâ vos proſequor, meque nunquàm amicitiæ, quam mihi oſtendiſtis, immemorem fore. Ideò toto corde vobis deditus has ſtudiorum primitias, pro totis à tenerrimâ infantiâ hunc uſque ad diem à vobis beneficiis receptis, in actiones gratiarum, nec-non in æternum amoris gratitudiniſque monumentum,

Dicat, vovet, conſecrat

Obſequentiſſimus dilectiſſimuſque
filius
P. LAMOTTE.

Hora fugit, memori, ſub pectore dona manebunt.

RPJCB

INTRODUCTIO.

OMISSIONEM relationum, varios inter morbos chronicos vigentium, addere nobis liceat rationibus promulgatis, ad difficultates patefaciendas, in quibus circà affectiones chronicas verſamur. Chronicum affectum, proprium veluti ac ſpecificum, conſiderant omnes ferè pathologi; verùm autem, etiamſi plurimæ inter affectiones chronicas quid ſuî generis ſervent, nihilhominùs correlationibus ſtipantur aliis cum affectibus, quarum conſideratio adeò momentoſa nobis videtur, ut in claſſificatione nec-non diſquiſitione cauſæ materialis ac therapeïæ idoneæ valdoperè ea prodeſſe queat. Iſto ſuffultus principio nec-non mediante conſideratione hæmorrhoïdum circumſtantiarum valdè cardinalium, relationes hujuſce morbi aliis cum jam inquiro, & quonam ſub affectuum ordine veniunt collocandæ hæm., quantùm ſinunt tyronis vires, ſtatuo.

Objecto noſtro rectè penſitato, inter fluxiones eſſe ordinandas hæm. mihi videtur; verum eſt quod inter morbos merè mechanicos ſeu organicos veniant recenſendæ nonnullæ hæm., aſt primariam indolem diù non ſervant; nam affectus ipſemet, jàm vigens, humores ſemper attrahendo, motuum tonicorum diſtributionem invertit, eorum tendentiam vaſa ſuprà hæm. invigorat, elementaque veræ fluxionis creat.

1°. Ex omnium conſenſu una ex circumſtantiis, primariò hæm. ſpectantibus, conſtat in conſuetâ

hujuſce affectûs apparitione apud adultos. Docet etiam experientia quotidiana, non ſolùm ab humore quodam quâcumque in ætate dominium teneri, ſed adhuc versùs ventrem peculiarem, ut aïebant veteres, vergere ipſummet. Porrò fluxioni ſemper imminenti anſam præbet continua hæc tendentia. Tunc, veterum expreſſionibus utendo, à toto ſyſtemate *pars mandans*, ab organo, in quo ruunt humores, *pars recipiens* offeruntur. Ergò jàm eluſceſcit analogia quædam fluxiones inter & hæm.

2°. Nonnunquàm accidit, hæm. fluxu tentari pueros ac infantes; verùm autem adoleſcenti ætate ut plurimùm evaneſcit hicce affectus, variaſque valetudines poſt ſe relinquit, in pulmonibus vigentes. Reipsà fluxu illo corripiuntur infantes ſeu ob labem hæreditariam, ſeu ob humorem heterogeneum, quem expellit natura viâ illâ propter debilitatem nativam aut acquiſitam in ſyſtemate hæm., humorum affluxum ſemper ſollicitante. Porrò tendentiam illam turbat adoleſcentiæ evolutio, versùs pulmones motus dirigens. Ergò licèt apud infantes reperiantur hæmorroïdes, exceptioque regulæ generali tunc obſervetur, caracteres fluxionis in illo fluxu ſemper denotantur.

3°. Imminente fluxione humoris cujuſcumque versùs capitis thoracisve organa, ab ægrotante interdùm perſentiuntur ſymptomata, ex novâ tendentiâ motuum nervoſorum procedentia, affluxumque humorum concomitantia. Aſt ſimilia apud hæm. obſervantur phœnomena, ut eorum enarratione infrà comprobabitur.

4°. Inter ſymptomata, ad finem vergere hæmorrhagiam denotantia, numeranda ſunt cuncta

phœnomena, quæ novam virium tonicarum diſtributionem commonſtrant, præſertim ſudor ſpiſſus ac viſcidus: verùm autem eadem valet indicatio curativa aut prognoſtica quoad hæm.

5°. Quotieſcumque hæmorrhagia narium vel pulmonum pluries apparet, arcetur ab eâ fluxus hæm., & vice versâ: atqui novam diſtributionem virium tunc ſollicitat hæmorrhagia recens; quod ſolvit ac ſufflaminat fluxûs hæm. elementa.

6°. Accidunt non raro fluxiones actione irritante, quâ attrahuntur humores, ut conſtat experientiis phyſiologicis; Porrò generantur iidem effectus ab actione irritante ſpecificâ in ſyſtemate hæm., quâ donantur plurimæ ſubſtantiæ, ſicuti allium, elleborus, aloës, &c.

7°. Hucuſque rationem partis mandantis ac exiſtentiam hujuſce elementi fluxionis apud hæmorrhoïdarios agnoſcimus: requiritur adhuc elementum aliud, pars nimirùm recipiens; aſt rationem illius cauſæ morbificæ ut plurimùm invenimus in debilitate quâdam reſpectivâ, vigente in ſyſtemate hæm. Verùm neminem fugit, quantùm valent ad hæm. generandas, cauſæ vaſa hæm. debilitantes. Tunc non ſolùm in illis vaſis languida fit circulatio, ſed adhuc ipſiſmet organis quamdam dilatationem varicoſam inducit, quæ virtutem attrahentem eis communicat, nec-non majori humorum afluxui anſam præbet.

Ad fluxiones pertinere hæmorrhoïdes noſcere nequidem ſufficit. Notandum adhuc humores plurimos ab eo fluxu expelli, præprimis hmorem atrabilioſum in affectibus melancholicis aut lienoſis cum materie. Littereà ætas, in quâ obſervari ſolent fluxus hæm., morbis bilioſis præprimis cor-

ripitur, plethorâque venosâ ac ſpuriâ laboratur homo. A fluxu hæm. ſanantur quandòque, aut præcaventur morbi, ab illâ causâ procedentes, ità ut non abſque periculo arceatur ille fluxus, niſi merè localis ſit affectio. Non me latet ſanguinem arterioſum humoremque ſeroſum & rheumatiſmalem juxtà nonnullos ex hæm. quandòque effundi: verùm indole diversâ donatur aliquotiès fluidum, à vaſis hæm. expulſum, & degeneratione atrabiliosâ valdoperè inquinatur. Demùm ex retropulſione humoris deleterii ac generis ſpecifici, ſicuti hepetici, venerei aliuſque & ejus depoſitione ſuper ſyſtema hæm. oriuntur etiam aliquandò fluxus ſpeciei peculiaris. Aſt indè enaſcitur argumentum novum, ut fluxiones inter à nobis collocentur hæm; cùm humores omnis generis tùm cardinales, tùm à degeneratione morbosâ productæ, motuum tranſlationis ſint capaces, ac conſequenter fluxionis ſubjecta fieri queant.



DISQUISITIONES PRACTICÆ CIRCA *HÆMORRHOIDES.*

» NIHIL aliud ſunt hæm., (aït *Sauvages*)
» quàm fluxus cruoris ex podice præſentibus
» tuberculis rubris, duris, dolorificis, aut iiſdem
» in recto latentibus, vel ſanguifluxus ex mariſcis
» podicis. Diſtinguuntur ab *Hæpatirrheâ* cruentâ,
» in quâ purus cruor ejicitur, ex eo quod ſint ſigna
» deſignantia, mali originem eſſe in podice vel
» in recto, ſcilicet tubercula hæmorrhoïdalia; ea
» ſigna ſunt quod dolor in dejectione referatur
» tantùm ad podicem, quod tubercula illà vel
» videantur, vel ab ægro ſentiantur, tanquàm
» nuclei perſiccorum intrà anum. A *dyſenteriâ* &
» *teneſmo* diſcrepat, eo quod nulla ſunt in abdo-
» mine tormina, dejectiones præcedentia, &
» maximè quod purus cruor fœcibus induratis ut
» plurimùm ſuperaffuſus ſit non verò cum illis
» diſſolutus, ut in *dyſenteriâ*. »

Hiſce generalibus poſitis, diviſiones, ex quibus deducuntur identidèm therapeïæ, nec-non ſedem morbi aliaſque circumſtantias accidentales & ſecundarias ſolummodò ſpectantes, variis ab Auctoribus ſtatuuntur: ſic in cæcas & fluentes; in internas & externas; in ſanguinolentas, mucidas & ſerpiginoſas; in turgentes & furentes; licèt diverſæ therapeïarum modificationes abſolutè deſiderent, quod haſce diviſiones ſervemus; ex eis tamen deduci nequit vera medendi methodus, ſicuti opinantur plurimi: ità ut minoris momenti eas judicemus. Ut therapeïæ fontes minimè fallaces acquiramus, ac hæm. ſanandas, alias venerandas agnoſcamus; triplici ſub aſpectu juxtà mentem noſtram conſiderari valent. 1°. In cauſis ex quibus procedunt; 2°. in morbis diverſis ordinis, quibus locum præbere poſſunt; 3° in moliminibus, quæ ab eis perpetuò ſollicitantur. Non ſolùm ad vera dogmata therapeutica nos ducere queit illa diviſio, ſed adhuc, ni fallor, caſus in quibus improſperæ, alii in quibus felices fieri queunt hæm. nobis patefaciet. Hiſce convictus, diviſionem illam amplector, & in peculiari capite de objecto unoquoque jam ago.

CAPUT PRIMUM

De Hæmorrhoïdibus in cauſis è quibus oriuntur.

Omnes ferè hæm. oriri è conatu naturæ, quæ plethoram ſeu veram, ſeu ſpuriam, ope illius fluxûs, imminuit, vel quæ ſeſe expurgat à melancholico

anguine, qui, in ſyſtemate venæ portarum moratur, variaque corpori incommoda creat, opinantur Sthalliani; contendunt alii, quod affectus ut plurimùm locales ſint hæm.; ità ut cum topicis ſæpè ac ſæpiùs ſanari debeant ac poſſint. Exiſtimant cæteri, quod duplicem cauſam, obſtructionem ſcilicet venæ portarum & acrimoniam rheumaticam agnoſcant hæm. Ut veritatem inveniamus, dubiaque ſolvamus; cauſæ variæ hæm. anſam præbentes in mente noſtrâ veniunt perpendendæ. Itaque ad eſſentiales, ſymptomaticas & criticas varias hæm. claſſes reducemus. Sed, ut cum ordine procedamus, de quocumque genere in peculiari ſectione dicemus.

SECTIO PRIMA

De Hæmorrhoïdibus eſſentialibus.

Sub titulo hæm. eſſentialium, eas intelligimus exiſtentes per ſe: ità ut affectio veluti localis tunc temporis conſiderari mereatur fluxus. Indè ſequitur principium Haënianum, ſcilicet quod arceri poſſit. Verum eſt quod connexiones cum ſyſtemate generali dein acquirat, ac indè Medico venerandus fiat; ſed à primario caractere tunc aberrat, novam indolem accipiendo. Minimè ſufficit illius principii cardinalis notio, ut veram therapeïam hæm. eſſentialium obtineamus; ad alium ſcopum attingendum, in mente ſemper veniat noſologia, varias ſpecies, quæ diverſa remedia expetunt, ſegregans; has è contrà,

quæ eadem deſiderant, connectens. Illius claſſificationis ope, problema ſolviſſe opinamur, itaque omnes hæm. eſſentiales reducemus, 1°. ad organicas, 2°. ad nervoſas; humorales adhuc, à plethorâ locali procedentes, hîc recenſerent nonnulli; ſed ad criticas multò magìs pertinere mihi videntur cùm in fluxu ipſomet ſanationem radicalem interdùm inveniant.

GENUS PRIMUM

Hæmorrhoïdes organicas amplectens.

Neminem fugit quantùm valent, ad hæm. generandas, cauſæ plurimæ, ſyſtema hæm. intùsaut extùs comprimentes, vel ipſiuſmet eroſionem producentes; admittimus igitur duas illas ſpecies cardinales, eorum naturâ omninò diverſas, (licèt idem genus ſpectent) lucemque eò majorem in therapeïâ hæm. organicarum afferentes, quò ad unam vel aliam refferri queunt omnes hæm., à causâ mechanicâ quâcumque procedentes, & ob diſſertationis limites nequidèm à nobis enumeratæ.

SPECIES PRIMA,

Hæmorrhoïdes à causâ mechanicè comprimente.

Inter cauſas hujuſce ordinis valent præſertim gravidus uterus, (utimis graviditatis menſibus) ac

partus difficilis, qui eò magis hæm. locum præbent, quò tunc viget naturalis tendentia fluidorum in partes genitales, ut etiam in vicinas, quæ, (ſicuti in ſyſtemate hæm. obſervatur) communicationes habent cum genitalibus, ope vaſorum ſanguineorum. Hìc recenſendæ veniunt fœces duræ, ferè ſemper generatæ ob ventrem ſegniorem, vel ob diætam indigeſtibilem, corpora dura amplectantem, vel ob conſuetudinem diutiùs eas retinendi. Tunc ſi in recto cumulentur, dilatatur illud inteſtinum, premunturque vaſa; demùm inter illas hæm. numerandæ ſunt illæ, quæ à skirro, abſceſſu, calculo, à tumore quocumque, partem vaginæ poſticam occupante, creantur.

Diagnoſis. Si à partu aut graviditate procedant, tunc, ut detegatur hæm. indoles, ſufficit conſideratio circumſtantiarum, eorum apparitionem ac præſentiam concomitantium: ſi è fœcibus induratis oriuntur, tunc deducitur *diagnoſis*, è difficultate fœces expellendi, è naturâ ſiccâ fœcium, è longo intervallo inter fœces expulſas, ex indole hæm. ad inflammationem vergentium aut quæ ab eâ jàm tentantur.

Prognoſis variat juxtà difficultatem, cauſam primariam debellandi, quæ tamen ſpontè aut methodo idoneâ aliquotiès evaneſcit. Præteréa proferendus eſt relativè ad gradum inflammationis, irritationiſve, ad gangrænam aut ſupurationem plùs minùſve imminentem, & ad alias circumſtantias mutabiles. Accidit quandòque abortus ob teneſmos fluxum hæm. concomitantes. Si, deſtructâ causâ comprimente, ſemper exiſtant hæm., & nulla obſervetur inflammatio, incuſari tunc debet debilitas, quandò

à partu aut graviditate procedit morbus; è contrà levis irritatio, quandò fœcibus duris tribuitur. Itaque nobis offeruntur ſpecies novæ, quæ faventur à directione continuâ motuum tonicorum versùs organa genitalia. Quandò ad pejus vergunt hæm., non adhuc prægreſſis graviditate aut partu, tunc infelix fit diagnoſis ob cauſæ comprimentis, humoreſque atrahentis, actionem continuam. Idem proferendum de hæm., actionem skirri, abſceſsûs, calculi alius affectûs vaginæ aut veſicæ vel uteri, pro causâ agnoſcentibus, ob difficultatem deſtruendi cauſam primariam ac comprimentem.

Curatio. Eam obtinemus 1°. cauſam primariam debellando, 2°. ſtatum podicis ſanando. In hæm., ex partu difficili, aut graviditate procedentibus, natura ipſamet cauſam comprimentem expellit. Niſi in extremis operatio illa tentari debet. Anteà adminiſtrentur remedia, quæ vaſa ingurgitata paulatim deplent, plethoram localem deſtruunt, ejus effectus noxios præcavent. Quandò è fœcibus duris, ac ſiccis oriuntur hæm., tunc temporis in adhibitione veniant potus diluentes, enemata aquoſa, emulcentia, podicis balnea, potiones mannatæ, demùm digiti opus; qui hæm. laborantur, eò quod diutiùs latrinis inſident, vel nimiâ occupatione aut deſidia, quandiù poſſunt, ſuas morantur alvos, ſuam conſuetudinem debellent. Ad ſecundum ſcopum attingendum, effectus, in podice obſervati, perpendantur; ſi ab irritatione procedant, ſicuti quandòque accidit, quandò ſiccæ fœces illum morbum generant, tunc lotiones ex lacte, in quo coquuntur emollientia, ſubſtantiæ leviter anodynæ, liquor anodynus *Hoffmanni*, aquæ minerales temperatæ; aqua hordea,

diæta vegetabilis, &c. commendantur. Quandò ſegnior eſt ventriculus, dein ad ſtomachica, cum emulcentibus maritata, deveniendum. Rhabarbarum cum paucis granis nitri laudantur. Si è contrà debilitas, creata à diſtenſione nimiâ vaſorum & ab affluxu humorum, fluxûs hæm. continuationi locum det; ad tonica & leviter aſtringentia recurrendum venit, gradatim tamen adhibenda ſunt, ut imminuatur paulatim fluxus, ne ſubitanea oriatur in organum nobile metaſtaſis. Antiphlogiſtica caput in curatione tenere debent, quandò genium inflammatorium accipiunt hæm. Demùm idem dicendum de hæm., affectus prædictos veſicæ, vaginæ, & uteri ſubſequentibus; ſemel feliciter debellatâ à remediis propriis causâ comprimente, ad remedia enumerata, ſecundùm ſtatum in podice irritationis vel debilitatis, confugiendum eſt. Si autem cauſam illam deſtruere impoſſibilis ſit, tunc ad curationem palliativam deveniendum, id eſt localis plethora eſt præcavenda, ut etiam inflammatio, aliique effectus eam ſubſequentes.

SPECIES SECUNDA

Hæmorrhoïdes ab eroſione.

Corpora rodentia tum ſolida tum fluida ſolutioni continui occaſionem præbere poſſunt omnibus in punctis corporis humani : eò ſæpiùs in inteſtino recto illud obſervatur, quò caracterem multò acriorem accipiunt fluida, in illa parte congeſta. Indè cur facilè ibì efformantur fiſtulæ, abſceſſus,

ulcera, aliique affectus organici, qui dote ſtipantur, partes vicinas erodendi, locumque affectum adaugendi. Aſt nemo quin videat, quàm parum critico caractere donantur fluxus hæm. ſimiles, quantum è contra utilis ſit eorum ſupreſſio.

Diagnoſis. Deducitur ex collectione ſymptomatum, abſceſſum, fiſtulam, ulcera, materiem purulentam, corpus dilacerans in podice commonſtrantium, hîc non recenſendorum.

Prognoſis. Mali eſt ominis ſimilis affectio, ob difficultatem affectum primarium ſanandi, & progreſſus præcipites, quibuſcum in iſto loco procedit. Imò etiam ſummâ cum abundantiâ ſæpè ſæpiùs hæm. illius ſpeciei fluunt ac difficilè arcentur; undè oriuntur cachexia, hydrops, aliique affectus plurimi, quandò longè protrahuntur; aliquando tandem operationibus chirurgicis opus eſt, ad ſanationem obtinendam.

Curatio. Ut eam attingamus, tentanda ſunt 1°. media; quæ valent, ad debellandam affectionem primariam àc corrodentem. Variant illa remedia juxtà indolem cauſarum, itaque prætermittenda ſunt, cum à circumſtantiis vigentibus ſolummodo denotentur. 2°. Quando nimius eſt fluxus, & ſequelæ noxiæ minantur, adſtringentia tùm intùs, tùm extùs adhibeantur, ut etiam compreſſiones & aliæ methodi ad hæmorrhagias arcendas propoſitæ, tandem in extremis, ligaturæ, extirpationes aliaque, à chirurgiâ propoſita, veniant in adhibitione.

GENUS SECUNDUM

De hæmorrhoïdibus procedentibus à læſione virium tonicarum ſyſtematis hæmorrhoïdalis.

A virium tonicarum læſionibus triplici modo ſtatus morboſus inducitur, vel propter earum debilitatem, vel ob earum intenſitatem, vel ob earum vitioſam diſtributionem, ita ut, in uno punćto dominium teneant, dum in altero atonia obſervatur. Ab unâ quâque ex illis modificationibus morbificis generantur hæm., ergo indè oriuntur tres ſpecies, nulla-tenùs confundendæ.

SPECIES PRIMA

Hæmorrhoïdes à debilitate motuum tonicorum.

Jam diximus, à diſtenſione vaſorum generari interdùm in ano quamdam debilitatem, quâ vigente, favetur hæm. exiſtentia, licet cauſa primaria, ingurgitationem producens, optimè fuerit debellata. Debilitas illa non raro eſſentialis eſt, undè primarius enaſcitur fluxus prædićtus. Quotidianâ enim experientiâ conſtat, quod ani procidentiam hæm. tum cæcæ, tum fluentes ſubſequantur. Tanta viget quandoque illa debilitas, ut apud infantes

propter eam fluxus hæm. fuerit obſervatus & à cortice peruviano feliciter debellatus. In multis hæm. intumeſcunt, aït auctor, non tam ob ſanguinis per abdominalem morbum circulationem impeditam, quam à ſolius tunicæ inteſtinalis intimæ laxitate & venarum ano vicinarum atonia ſpeciali, à multis cauſis facile extricabile. Huicce hæm. ſpeciei locum non rarò præbent 1°. debilitas nativa in ipſamet parte, quæ morbum illum hæreditarium aliquando facit, 2°. veneris abuſus, 3°. crimen omnium flagitioſiſſimum, contra naturale, vindictam in cœlo clamans, inter homines nequidem nominandum.

Diagnoſis. Frequens eſt ani prolapſus: omni inflammatione deſtituuntur hæm. niſi accidentaliter, ut, v. g. quandò anus procidens à ſphinctere conſtringitur. Plerumque turgent, omni dolore ſunt vacuæ, digiti preſſioni cedunt.

Curatio. Multa tùm externa, tùm interna in iſto caſu fuerunt commendata: omnia tonum partis adaugendi pro ſcopo habent; ſic laudârunt Auctores vinum rubrum, cui flores balauſtorum incoquuntur; vel alumen vino rubro ſolutum, externè adhibitum. Initio morbi frigidâ cum aquâ lavandas eſſe hæm. contendunt. Si nimis turgeant, extirpationem plurimi proponunt. Si profundè in recto hæreant vaſa, ſanguinem fundentia, injectiones ex decocto millefolii, vel ex decocto radicis tormentillæ, vel biſtortæ volunt alii. Si hæmorrhagia è vaſis externis oriatur, bolo armeno, vino rubro ſoluto, ex pannis linneis applicato, vel ſpongiâ aceto imbutâ, vel linteis carptis, aquâ aluminosâ madidis, facilè ſiſtitur Commendantur adhuc clyſteres & ſemicupia frigida.

Laudant

Laudant plurimi ſuppoſitoria, ex aſtringentibus parata; utuntur nonnulli, juxtà methodum *Tral-leſianam*, diuturno rhei uſu & lenibus martialibus, parce præbendis. Ubi limaturâ ferri alvus nimium præcluditur, præcordiorum anxietates vel cardialgiæ oriuntur, tùnc ſuadent iidem ſaccharum cum cremore tartari marti addendum. Qui vero rhabarbaro irritantur, pillulas ex extracto millefolii cùm limatura martis devorent. Demùm in nimio inveteratoque fluxu ſpeciei nunc dictæ, cachexiam comitante, hydropis metum adferente, ex continuato balnei pyrwartenſis uſu admirabiles ſucceſſus obtinuerunt. Cuncta illa propoſita nequidem ſimul adhibenda ſunt; gradatim adminiſtrentur, ne metaſtaſis in organum mobile ob ſubitaneam ac novam humorum tendentiam ſuccedat. In eodem tempore ad derivantia, primò levia, dein fortiora, recurrendum. Demùm caveat ægrotans, ne tranſpiratio ſupprimatur, nam frigore incautè admiſſo, inſultus hæm. redire ſolent. Fugiat etiam equitationem, quæ inter cauſas generatrices hæm. iſtius ſpeciei numerari meretur.

SPCCIES SECUNDA

Hæmorrhoïdes ab irritatione & ſpaſmo.

Ex conſenſu *Haëniano*, omniumque clinicorum, à causâ quâcumque acri, irritante, in recto moram trahente, teneſmos creante, producitur fluxus hæm.. Experimentis phyſiologicis comprobatur, ſummâ cum activitate humores ex

omni parte in punćto irritato attrahi ab aćtione ſtimuli, ſupra vas admoti. Hîc numerandæ ſunt hæm., productæ 1°. à ſuppoſitoriis, nimis irritantibus, 2°. à peſſimo more obſtetricantium, qui, digito in anum demiſſo, os coxcigis deprimunt, ut partus finem aſſequatur, 3°. à ſubſtantiis quibuſdam, vi quâdam irritante, ſpecificâ ſupra vaſa hæm., inſtructis. 4°. Ab aphrodiſiacis ac diureticis, quorum effectus ad vaſa hæm. ſeſe extendunt, 5°. ab abuſu amarorum, quo exſiccantur inteſtina, obſtruitur alvus, excitantur hæm.

Diagnoſis. Conſtat in ſedulâ obſervatione morbi hiſtoriæ, ſenſu continuo irritationis ac conſtrictionis in podice, teneſmo perpetuo, conſtrictionibus & ſpaſmis in tractu inteſtinali, tenſione partis ingenti, ingurgitatione dolorificâ, tactum minime patiente, ad inflammationem vergente.

Curatio. Reperitur in emulcentibus, relaxantibus, aquoſis, anodynis cum diluentibus maritatis, tunc extùs adhibitis, ſi cæcæ ſint, curationis cardo in earum fluxu jacet: idcircò hyrudines, aut ſcarificationes.

SPECIES TERTIA

Hæmorroïdes à causâ nervosâ mixtâ.

Fatemur quod noſtro ſub titulo hæm., de quibus agimus, non agnoſcant Auctores. Exiſtit tamen illa hæm. ſpecies. Reipsà nonne apud melancholicos abſque materiâ obſervatur? Porro comprobatur à diffuſione inæquali motûs tonici

in tubo inteſtinali perſæpè procedere illum morbum? Nonne ad litteras apud deditos? Verum autem ſpaſmo in regione epigaſtricâ per totum ſtudii tempus afficiuntur. Nonne reperitur etiàm apud homines, colicâ merè ſpaſmodicâ correptos? Nonne &c. &c. Ergò exiſtit fluxus hæm. pro cauſa agnoſcens ſpaſmum in una inteſtinorum regione & atoniam in ſyſtemate inteſtini recti.

Diagnoſis. Deducitur è conſideratione ſtatûs præſentis ac præcedentis, è ſymptomatibus denotantibus affectum ſpaſticum in regione ſuperiori inteſtinorum; ex apparitione præprimis periodicâ illius morbi: ex ejus majori intenſitate, quando à pathemate quodam afficitur ſubjectum, aut ad ſtudium nimium ſeſe dedit; demùm ex præſentiâ ſymptomatum, quæ debilitatem in loco affecto commonſtrant, & quæ jam ennarrantur, agendo de hæm., à debilitate atonica procedentibus; quæ ſimul junguntur cum illis, ad affectiones inteſtinorum ſpaſticas pertinentibus, ita ut ſimul combinatæ diagnoſes hæm. tum à debilitate, tum ab irritatione inteſtinorum, natales ducentium, notionem hæm. à causâ nervosâ mixtâ præbeant.

Prognoſis. Alii criticum illum fluxum afferunt, alii ſuppreſſionem ejus cupiunt. Sedulò diſtinguendus eſt fluxus ille, à melancholiâ cum materie productus, ab eo merè nervoſo. In priori caſu, arceri tantum debet fluxus, affectum ex quo pendet, ſanando. Licet tamen ſi parcus ſit, ſi nullatenùs ab eo debilitetur æger, ſi Caracterem chronicum jam acceperit, ſanatio radica-

lis nequidem tentanda eſt. Verum autem quotieſcumque caractere merè nervoſo ſtipantur hæm.; ſemper ad curationem laborare debemus, præterea eò majoris momenti eſt fluxus ſanatio, quò ejus præſentia melancholiam nervoſam, alioſve morbos, remedia ut plurimùm reluctantes, in poſterum creat aut inſanabiles facit.

Curatio. Ex prædictis, ut ex fonte, fluunt remedia adminiſtranda. Conſtat enim therapeïa in externâ adhibitione medicaminum tonicorum, & internâ adminiſtratione laxantium, emollientium, & remediorum ſpaſmum epigaſtrii ſolvendi capacium. Notandum adhuc, quod minimè ad curationem hîc conducant cliſteres aquoſi, nec ſemicupia ob effectum eorum laxantem, quæ ſuprà podicem actionem peculiarem evolvunt.

SECTIO SECUNDA.

De Hæmorrhoïdibus ſymptomaticis.

Affectus veluti locales ſemper conſiderari nequeunt hæm.. Naturam diverſam ſæpè ac ſæpiùs nobis commonſtrant. Sic ex morbo alio, quem debellare debemus, ut meritò & abſque omni periculo arceri poſſint, quandòque oriuntur hæm.. Tunc inconcuſſum manet, quod caractere merè ſymptomatico donentur. Aſt, ut cum ordine procedamus, triplici ſub genere diverſas hæm. ſymptomaticas jam ordinamus. In primo

agitur de nervoſis, in ſecundo de humoralibus; in tertio de gaſtricis.

GENUS PRIMUM.

De hæm. ſymptomaticis nervoſis.

Legitur apud Clinicos, quod ex irritatione vigente in alio puncto quam in podice, & inteſtinum rectum ſympathicè ſolummodò torquente, procedant aliquandò hæm.; tunc ad morbum ſecundarium ſanandum, affectionem versùs primariam tendere debet therapeïa. Ergo inter morbos ſymptomaticos, numerandi ſunt hæm. illius generis. Noſco ſolummodò duas ſpecies illarum hæm., aliam nimirùm, à dentitione creatam; alteram à leucorrheâ vel gonorrhæâ virulentâ, quæ ſympathicè organa, uteri & vaginæ vicina, irritat. Itaque,

SPECIES PRIMA.

Hæm. à dentitione.

Morbum illum, dentitione procreatum, obſervârunt Auctores. Neminem fugit ſympathia nervoſa, inteſtina & gencivas nectens. Eâ propter ſympathiam ab irritatione, quâ laborantur per dentionem gencivæ, etiam corripiuntur inteſtina ac ventriculus, quotiès cum intenſitate progreditur

affectus; undè oriuntur non raro alii fluxus alvini, qui eò ſalutares habentur, quò humorum impetum & affluxum versùs organa ſuperiora magis impediant, ac conſequenter morborum generationem, illam cauſam morbificam ſequentium.

Diagnoſis. Tum ex hiſtoriâ morbi, tum è caracteribus irritationis jam recenſitis deducitur.

Prognoſis. Sæpè infelix, tum propter naturæ difficultatem, ad dentium eruptionem obtinendam, tum eò quod difficilè ac parumper naturæ conatus ab auxiliis ſeu chirurgicis ſeu medicinabibus adjuventur.

Curatio radicalis omninò à dentium eruptione pendet. Etenim nulla veniat tentanda, quæ ad fluxus ſupreſſionem tendat, quouſque jam apparuerint dentes, ac fuerit omninò pacata gencivarum irritatio; quâ torquente, verſus encephalon non raro rapiuntur humores, & lethales affectus ſubito generantur. Idcircò versùs remedia, quæ dentium eruptioni favent, omninò dirigenda eſt therapeïa. Extùs tamen admoveri queunt, quæ valent ad dolores imminuendos, ac irritationem ſedandam: quando, paractâ dentium eruptione, fluunt adhuc hæm., quæ infantem magnopère debilitant, ejus ventriculum enervant; tunc tractanda eſt affectio, ſicuti ab irritatione locali procedens: itaque ſummâ cum prudentiâ veniant adhibendá remedia, adſtringentiaque fortia omittenda, ut humorum raptus ad ſuperna vitetur.

SPECIES SECUNDA

Hæm. ex ſluore albo aut viru gonorrhoïco, ſympathicè irritante.

Nullus eſt inter clinicos, qui pluries non obſervaverit hæm., primum ſtadium gonorrheæ concomitantes. Obſervatur etiam affectus ille, quando ingenti acritudine donatur fluoris albi materies. Tunc ſympathica tantùm eſt affectio. Verum eſt quod horumce affectuum materies in ſyſtema hæm. aliquando deferatur. Tunc autem nova conſtituitur affectio, nam utrumque inter caſum illa viget diſcrepantia, que reperitur v. g. inter bubones ſympathicos, & illos ex tranſlatione humoris venerei in glandulas inguinales ortum ducentes.

Diagnoſis. Sufficit quod morbi conjuncti hiſtoriam poſſideamus, & apparitionem utriuſque morbi ſimul cruciantis cognoſcamus.

Curatio. Eadem indicatur therapeïa, quam in caſu bubonum merè ſympathicorum. Igitur remedia adhibeantur, ad malignum caracterem gonorrhææ & fluoris albi infirmandum, idonea. Attamen cum anodynis maritentur. Admoveantur etiam tum in partibus genitalibus, tum in podice, quæ irritationem pacare queunt. Quo ad priora, morbum primarium ac humoralem ſpectantia, ob diſſertationis limites veniunt omittenda; quo ad poſteriora de illis jam dixi, agendo de hæm., ab irritatione locali procedentibus.

GENUS SECUNDUM

Hæm. ſymptomaticæ humorales.

Ab omnibus jam notum eſt, quod humores extraneos quandoque in ſe habeat œconomia animalis; vel quod maſſa ſanguinea alterationibus ſpecificis nonnunquam laboretur; porrò tum ob debilitatem, ſyſtema hæm. cruciantem, tum ob naturalem humorum directionem, quæ juxta ætatem diverſa obſervatur; tum ob diverſas diffuſiones, quas patiuntur motus tonici in ſtatu morboſo; ſuprà vaſa hæm., quandoque ruunt humores illi. Inde enaſcuntur hæm., quarum prudens curatio in deſtructione cauſæ materialis præcipuè conſtat. Ut autem eodem modo tractanda non ſunt illa elementa morbifica, juxtà indolem diverſam cauſæ materialis agimus.

SPECIES PRIMA

Hæm. à causâ gaſtricâ humorali.

Jam noſcimus hæm. à fæcibus duris ac ſiccis procedentes. Diverſæ ſunt iſtæ tum therapeïâ, tum ſymptomatum vigentium collectione. Conſtat enim ex obſervationibus *Haënianis*, quod materies febrilis gaſtricobilioſa, ſimilis ei, quæ generationi dyſenteriæ favet; nec-non ex ſcriptis *Platnerianis*,

quod affectus gaſtrici verminoſi hæm. aliquando generent. Nullus quin percipiat, quam parum in illis caſibus ſtatum criticum movet fluxus hæm., cum non ſolum materiem morbificam nullatenùs eradicet, ſed adhuc ejus expulſioni ſeſe obſtet ob teneſmos conjunctos. Ergo ad ſanationem procedere debet clinicus.

Diagnoſis. Eò felicior, quò magis ſymptomatibus, affectum gaſtricum denotantibus, comitantur hæm.: itaque ſedulò notanda ſunt illa ſymptomata, quæ morbum gaſtricum non tantùm generatìm deſignant; ſed adhuc ſpeciem morbi illius patefaciunt. Igitur ad naturam febris concomitantis ſpectet clinicus, & omnia, quæ ejus indolem detegere poſſunt, attentè perpendat. Prætereà caracteres jam enumeratos irritationis ſemper offerunt ſimiles hæm., non rarò etiam ad inflammationem vergunt; aſt genium gaſtricum eſſentialiter ſervat ipſamet complicatio.

Curatio. Indicationes iſto in caſu adimplendæ duo tantùm ſpectant 1°. cauſam morbificam primariam, 2°. irritationem localem. Remedia, à priori indicata, variant juxta cauſæ materialis indolem. Si bilioſa, tunc purgantia minorativa antibilioſa, acida levia, aliaque, adversùs febrem gaſtrico-bilioſam commendata, adhibeantur; ſi verminoſa, tunc abſorbentia, oleoſa, purgantia, amara, ſalia leviter incidentia, anthelmintica propriè dicta, aliaque medicamina, in illo caſu laudata. In omni caſu tartarus emeticus, vel hypecacuanha, quando in ventriculo jacet focus materialis. Illis cum remediis maritanda ſunt emulcentia, aquoſa, temperantia, ſemicupia, clyſteres,

humectantes, anodyna aliaque ad irritationem podicis pacandam idonea; licet tamem nunquam radicitùs debelletur, quouſque deſtruatur cauſa materialis, affectui ſecundario alimenta præbentis.

SPECIES SECUNDA.

Hæmorrhoïdes ſcorbuticæ.

Consensus ſcorbutum inter & hæm. omni dubio eſt deſtitutus. Sufficit ut vera ac realis judicetur illa hæm. ſpecies, opus *Albertianum* noſcere. Verùm de naturâ ſcorbuti diverſimodè judicantes Auctores eamdem ſententiam circà hæm. ſcorbuticarum indolem minimè propoſuerunt. Nonne è peculiari ad generalia concludunt Auctores? Quidquid ſit, pro affectu proprio humorum, quæ procedit à diſſolutione modò biliosâ, modò mucosâ, ſed diverſimodè modificatâ, ſcorbutum habemus. Prætereà ſtatum varicoſum ſyſtemati-venoſo ab illo morbo induci, hæmorrhagiis facillimis comitari, viſcera abdominalia non raro infarciri, fatentur omnes Clinici. Porrò hiſce poſitis, mirùm nequidèm videtur, hæm. ſcorbuticis laborari ægrotantes; nam licèt gencivas præſertim crucietur affectio ſcorbutica, totum ſyſtema venoſum etiam torquet, & venas hæm. eò ſæpius afficere debet, quò ſæpè ac ſæpiùs cauſam, affectûs creatricem offerat abdomen.

Diagnoſis jacet 1°. in collectione ſymptomatum, ſcorbutum denotantium, ac affectum abdominalem non rarò patefacientium; 2°. in ſtatu maximè varicoſo venarum hæm. tùm internarum, tùm exter-

narum ; 3°. in eo quod minimo tactui ſanguinem evomant vaſa hæm. ; 4°. in colore nigro ac livido venarum turgentium ; 5°. in irritatione podicis continuâ ac dolorificâ ; 6°. in odore malè olente, qui è podice ſeſe avolat ; 7°. in naturâ ſpiſsâ, nigrâ, fœtidâ, demùm ſcorbuti ſanguinis diluentis, &c.

Curatio. Diverſas methodos adhibere debent juxtà morbi gradum, ac caracterem ſpecificum ſcorbuti, qui tanquàm cauſa primaria conſiderari debet. Aſt de iſtis mentionem adhibere non ſinunt diſſertationis limites. Prætereà in mente revocet Lector principia ſcorbuti therapeutica ac curativa, & hæm. ſcorbuticas, veluti illius morbi ſymptoma, ſolummodò conſideret. Demùm ſuprà podicem admoveantur antiſcorbutica nec-non antiſeptica tonica ; & fluxûs ſuppreſſio non tentetur, quin deleatur ſcorbutus ipſemet, nec-non ſanetur affectus abdominalis, quandò ejus exiſtentia à ſymptomatibus detegatur.

SPECIES TERTIA.

Hæm. ab humore deleterio ac ſpecifico retropulſo, & in podice demiſſo.

PARUM immorabor ad comprobandam hæm. exiſtentiam, de quibus mentionem adhibemus. Notamus tantùm quod herpetici, ſcabioſi, venerei, aliique humores ſpecifici ſedem ſuam aliquandò derelinquant, intropellantur, in ſyſtema hæm. deferantur. Juvenem novi, gonorhæâ detentum, qui

modò in partes genitales modò in anum fluxum morbificum experiebatur. Plurima exempla ſimilia apud collectores reperiuntur.

Diagnoſis. Sufficit ut illam ſpeciem fluxûs hæm. agnoſcamus, quod retropulſionem humoris deleterii, fluxumque hæm., ei ſubſequentem, annotemus. Præterea caractere acri ac irritante ſtipantur hæm. hujuſce ſpeciei. Demùm apparent etiam in podice ſymptomata, indolem humoris, fluxum cauſantis, ſervantia.

Prognoſis. Eò infelicior, quò indole magis deleteriâ inſtruuntur hæm., & quò difficilior eſt ipſiuſmet humoris attractio in loco minùs nobili & magis externo.

Curatio. Hîc generalia tantùm veniunt proferenda; idcircò tria tentanda ſunt, 1°. è podice humorem eradicare, & ſuprà organum minoris momenti illius depoſitionem movere. 2°. Alterationem humorum generalem deſtruere, id eſt virus deleterium debellare. 3°. Podicis irritationem ſedare. 4°. Symptomata, in ano ab humore præſente creata, pacare. Ut autem adhibenda media pro quocumque ſcopo attingendo, juxtà circumſtantias nimis numeroſas ac mutabiles variare debent, Medici genio veniunt concedenda & penitùs hîc prætermittenda.

SECTIO TERTIA.

De Hæmorrhoïdibus criticis.

Ab hæm. plurimos ſolvi aut imminui affectus;

inconcuſſum reſtat. Nec affectiones illas ennarrare, quæ è molinibus hæm. utilitatem trahere queunt, nec eas recenſere, in quibus multos effectus proſperos exercent, animus mihi eſt. Sufficit objecto meo noſologico, exiſtentiam hæm. criticarum ab obſervationibus comprobari. Igitur ad earum hiſtorias ac enumerationes devenio.

SPECIES PRIMA.

Hæm. criticæ ſanguineæ.

In eo conſentiunt Auctores tùm *Sthaliani*, tùm *Hanniani*, quod à plethorâ ſanguineâ aliquandò creentur hæm. & ab iſtis offeratur vera criſis. Diſcrepat tantùm Auctorum ſententia, in eo quod raram alii, frequentem è contrà cæteri, afferant illam criſim. Jus ſolum eſt clinicis, judicium proferendi. Nobis ſufficit, quod realis ac vera ſit hujuſce ſpeciei fluxûs exiſtentia, & caractere critico inſtruatur. Obſervatur ille fluxus, tùm apud ſubjecta quæ, licèt plethorica, fluxûs hæm. ope, ſanitate gaudent; tùm in febribus ephemeris, ad phlogiſton vergentibus, vel phlogiſticis, quæ ab eodem fluxu ſolvuntur. Plethora illa non rarò localis tantum eſt, tunc viget ſolummodô in ſyſtemate venæ portarum. Aſt eò magis caractere critico in illo caſu inſtruitur, quò totum illius venæ ſyſtema optimè evacuatur. Aliquando accidentaliter tantùm, & quaſi mechanicè producitur ſimilis ſtatus plethoricus. Illud reperitur apud eos, qui rhedis ſemper vehuntur, qui ſedentarii ſunt, & ad equitationem nimiùm dediti.

Diagnoſis, ſpeciem illam detegunt 1°. cuncta ſymptomata quæ, veram plethoram, aut febrent phlogiſticam, vel ad phlogiſton imminentem, denotant. 2°. Typus ut plurimùm periodicus. 3°. Colica ſpecialis hæm. dicta à clar. *Sthal* & *Alberti* optimè delineata, fluxum præcedens, illum prænuntians, & à naturæ conatu ejuſque molimine ſpaſmodico procedens. 4°. Conſideratio circumſtantiarum, quæ jam viguerunt, & plethoræ locum poſuerunt, ſicuti menſtruorum ſuppreſſio, hæmorrhagiarumque frequentium per nares aut pulmones totalis ceſſatio. 5°. Attentio cauſarum quæ, ſanguini orgaſmum inducendo, plethoram accidentalem creant, veluti nimia corporis exercitia, potus ſpirituoſi, ira aliaque ſimilia pathemata. 6°. Natura florida ſanguinis defluentis, ac ejus expulſio per vaſa præſertim hæm. externa. 7°. Solatium quod ab illo fluxu in functionibus vitalibus adfertur, tandèm pulſus dicrotus, &c. &c.

Prognoſis ſemper felix juxtà ut plurimos, ob indolem criticam, quo adornatur fluxus ille. Aſt ſedulò veniat annotandum, nùm nimius ſit fluxus, nùm cachexiam ægrotanti inducat, nùm, caracterem chronicum accipiendo, raptuique humorum versùs inteſtina ſemper favendo, morbis nervoſis abdominibus anſa non detur, &c. Porrò in illis caſibus eò minùs proſperum judicamus prognoſim, quò ad fluxum imminuendum omnes nervos tendere debemus. Sed ut felici cum ſucceſſu procedamus, regulas therapeïæ ſubſequentes audiamus.

Curatio. Si nullus ex effectibus improbis, jam ennarratis, accidat, tunc venerandus eſt fluxus hæm. Si contrarium obſervetur, tunc imminuen-

dus eſt fluxus. Ut ſcopum illum ullo abſque periculo attingamus, plethoram ipſammet obſervare debemus. Sic agendo, cauſam ſcilicet primariam ſufflaminando, ſponte evaneſcit affectus, aut valdoperè infirmatur. Si penitùs fluxum arcere velimus ob prementem circumſtantiam, tunc deſtructâ plethorâ, æqualem humoribus diſtributionem communicare opportet: ſed niſi in extremis tentanda eſt totalis fluxus ſuppreſſio. Ex dictis vel Medicinam ſpectantem vel activam facere debemus. In priori caſu cuncta remedia ſunt omittenda; in poſteriori medicamina, ad plethoram imminuendam idonea, veniant adminiſtranda. Idcircò, exercitatio, regimen vegetabile, refrigerantia, venæ-ſectiones modicæ, revulſivæ, ſæpè repetitæ, niſi pro metu hydropem habeamus, aliaque media, ab Auctoribus in illo ſcopo commendata. Non ſufficit plethoræ ſuppreſſio; cauſam formalem deſtruere etiam opportet. Itaque, plethorâ feliciter debellatâ, in podice adhibenda ſunt tonica levia, dein ad adſtringentia paulatìm deveniendum, ne directionem novam derepentè accipiant humores, & in organum nobile irruant. In illo ſcopo valent præſertìm frictiones ſiccæ ſuprà totam cutis peripheriam: demùm in brachio vena interdùm ſecanda eſt ſeu ut præcaveatur pletora, ſeu ut minori cum activitate versùs abdomen adferantur humores.

SPECIES SECUNDA.

Hæm. mucoſæ criticæ.

Hæm. mucoſas nobis commonſtrat praxis quotidiana. Circà earum indolem diverſimodè opinârunt Auctores. Alii affectum illum merè localem aſſerunt, alii verè criticum eum judicant. Ex ſcriptis Albertianis conſtat, 1°. quod non rarò caracteribus criticis hæm. ſanguinearum adornentur mucoſæ. 2°. Quod ut plurimum connectantur; 3°. quod ſæpè alternent &c. illa ſola viget diſcrepantia, ait *Alberti*, ſanguineas inter & mucoſas, quæ reperitur in fluxum menſtruum & fluorem album, ei ſubſequentem. Nos autem humori rheumatiſmali conjuncto tribuimus anomaliam; quod caracterem criticum nequidem deſtruit, ſed progreſſui irregularitatem inducit. Comprobata mihi videtur illa ſententia, eo quod ægrotantem ſimul quandoque torqueant affectus alii nephritici, iſchiadici, podagrici, rheumatici & ſimiles qui cum tempore albas hæm. etiam inſequi poſſunt & ſolent. Ergò veluti hæm. ſanguinearum anomaliam, ob humorem rheumaticum conjunctum, juxtà nos conſiderari debent hæm. mucoſæ.

Diagnoſis. Aliæ ſunt ſimplices, aliæ ſunt ſerpiginoſæ, quoties genus humanum torqueent albæ hæm. ſimplices, tacitè non fluunt, ſed antecedunt motus in abdomine tenſorii, naturæ conamen denotantes. Accidunt cum ſenſu ſtringente ac ſcindinte; nec non materia mucida,

albuginea, ſpiſſa & non æquè viſcida, quantitate moderatâ, effunditur. Eo ipſo à vulgari alvi fluxu maximè diſcrepat, quod nulla alia fluida aut fœculenta materia, aut ante vel poſt exonerentur, & ſubjecta quoad alias circumſtantias, exquiſitè hæm. eſſe obſerventur; dum cauſæ antecedentes, impulſivæ, occaſionales, ratio temperamenti, ætatis, regiminis, vitæ generis &c. cum hæm. negotio admodùm conſpirant. Quoad ſerpiginoſas, obſervantur puſtulæ miliares inſtar ſerpiginis, quæ valdè pruriunt & ardent; concurrente alvi moleſtivi ſucceſſu, imò augentibus actualibus teneſmis.

Prognoſis. Ob anomaliæ caracterem, diſponuntur hæm. mucoſæ ad evagationes metuendas. Ex albicante illo fluxu ſit extimeſcenda ſuppreſſio, cui ſuccedunt graviora ſymptomata. Quò magis cum anomalia inſiſtunt, eò magis perturbant evacuationes conſuetas, maximè alvinas. Quando accipiunt transformationem in colicam hæm. & vehementiores ſpaſmodicas aſtrictiones, circa venam portarum ſævientes ullo abſque fluxu, tunc certiùs obſtructiones alvi ſuſpectæ, cardialgiæ incommodæ & futuræ primarum regionum labes erunt extimeſcendæ. Quoad ſerpiginoſas, axiomata ſequentia animo benevolo perpende. Quò magis repentè hæ puſtulæ hæm. reprimantur, eò certiùs & citiùs pathemata, in capite ſequenti referenda, inſequuntur & eò graviùs progrediuntur: quò magis per remedia acria profligantur, eò certiùs in majorem anomaliarum hæm. complicationem incidunt; quò negligentiùs æſtimantur, eò magis inſoleſcit ſtatus anomalus; quò ſæpiùs recurrunt

aut diutiùs continuant, eò ſenſibiliores ſunt eòque faciliùs in ſpaſticos effectus degenerant aut alia anomaliarum ſpecimina in conſenſum trahunt, &c.

Curatio. Duplex eſt indicatio, 1a. indolem nimirùm anomalam deſtruendi, 2. irritationem localem pacandi. Aphoriſticè de poſitivâ curatione tantum dicam, ob diſſertationis limites. Opus albertianum conſulat, qui dogmata magis extenſa poſtulat. Adhibeantur igitur remedia interna antirheumatica, hîc prætermittenda; attamen debemus anteà ſupplere ſinceræ ſanguinis depletioni venæ ſectione in pede, juſtis temporibus repetenda, moderatâ quantitate celebranda. In illo ſcopo valent etiam hyrudines; dein lenitiones & laxationes alvi, poſteà diluentia, humectantia, elubricantia, humores & vias lenientia, è foco diœtetico petenda, nec non ſufficiens motus. Pro congrua inteſtinorum abſterſione conveniunt ſalina, digerentia & colliquantia; itaque liquores tartariſatos abſtergentes & moderatè diureticos hîc referimus. Cliſteres adhuc lenientes & moderatè roborantes commendantur. Laudantur præſertim pillulæ balſamicæ *Sthalii* antiſpamodicæ; extùs pro puſtulis ſerpiginoſis dolorificis unguentum de linariâ, oleum ovorum cum tantillo olei, ceræ mixti, caſſiæ pulpa, oleum florum verbaſci, vel oleum ovorum cum camphorâ parcâ quantitate. Hiſce adhibitis deſtruuntur cauſa, anomaliam hæm. inducens, nec-non irritatio podicis ingens, quam creavit anomaliæ principium; tunc progreſſum regularem accepit fluxus; indole primariâ & ſanguinolentâ fruitur; nulli ſunt affectus, poſteà extimeſcendi, niſi nimia ſit evacuatio; conſequen-

ter veneranda ſit, & regulas tantum modo fluxûs hæm. ſanguinis critici, jam delineatas, agnoſcit.

SPECIES TERTIA

Hæm. atrabilariæ criticæ.

Jam diximus ob plethoram generalem ac veram criticas fieri hæm. fluentes: nunc in peculiari deſcendimus, ac ſtatuimus criticè fluere hæm., quoties humorali congeſtione afficiuntur viſcera abdominalia, præprimis quando humore melancholico infarciuntur. Ex conſenſu omnium clinicorum, ſummum ſolatium in morbis venæ portarum, procedentibus vel ex abundantiâ ſanguinis, vel ex ejus ſpiſſitudine, vel ex ejus alteratione atrabilariâ, à fluxu hæm. affertur. In primo caſu eſſentialiter criticus eſt fluxus, qui ſolus morbum abolet: in ſecundo & tertio, affectûs curationi magnoperè favet, & ad malorum accretionem ſeſe opponit. Satuendum eſt quod, antequam affectus, contumaces ac habituales fuerint redditi, ac degenerarint in perniciosos effectus, vel actualis corruptionis aut ſuſpectæ obſtructionis, ſeu confirmatæ ſkirroſæ & grandis oppletionis ſeu alteriùs læſionis tam in vaſis quam organis, ſeu ſuſpectæ & refractariæ humorum depravationis, tunc opportunus, tempeſtivus, & tam ratione quantitatis quam qualitatis, & continuationis, juſtus hæm. fluxus prædictis affectibus certè & citò opem expectatam ferre ſoleat. Si altas radices projecerit

affectus melancholicus, aut lienalis, ab humore atrabilioſo pendens, tunc magnoperè aliorum remediorum actioni favet fluxus hæm., tum ob inductam ſanguinis vitiati imminutionem, tum ob liberationem quamdam viarum & partium; ita ut ſpiſſitudo atrabilaria meliùs attenuetur, priſtinus infarctus efficaciùs diſſolvatur & diſtribuatur, impactæ indurationes meliùs emolliantur, ita ut demùm partes colatoriæ congruo robore affici & in eis reliqui uſus vitales reſtitui queant. Prætereà ſufficit, ut horumce principiorum veritatem percipiamus, quod in mente revocemus 1°. diſtributionem vaſorum internorum hæm. 2°. organa in morbo hypochondriaco affecta. Etenim ventriculus, meſenterium, hepar, lien, pancreas, totus inteſtinorum tractus torquentur. Porrò venæ portarum ope communicationes patiuntur vaſa hæm. tum interna, tum externa.

Diagnoſis. Nemo quin ſpeciem illam judicet, quoties, vigentibus morbi hyppochondriaci ſymptomatibus, obſervatur fluxus per vaſa hæm. præſertim interna, ſanguinem ſpiſſum, viſcidum, nigricantem expellentia, quem præcedit ut plurimum colica hæm. inteſtinorum & à quo ſolatium ingens ægrotantis torminibus affertur.

Præcepta curativa. Hæm. ſimiles ſupprimere in mentem nullius venit. Sed ſi juſtæ ac legitimæ ſint, eaſdem regere, & ab anomalicis progreſſibus eas præſervare neceſſe eſt. Itaque vitanda ſunt omnia remedia cohibentia, martialia, opiata, roborantia, nervina &c. &c. abſint perverſa regimina, affectus morales, aquæ thermales acidulæ, ita ut magis privativam quam poſitivam hîc

methodum adhibere debeamus. Quandoque hæm. directorium in affectu hyppochondriaco valde neceſſarium eſt. Si motus in diſſitis regionibus ad hunc finem moliuntur, propriùs ad loca hæm. opportet promovere & omnia incommoda removere, quæ acceſſum horum motuum offendere poſſunt. Itaquè multi refert, quod alvus partim ſit liber, inteſtina laxitate quâdam gaudeant, & ſanguis ſpiſſitudine nimiâ non ſtipetur. Quare ordinamus moderatas laxationes & abſtertiones, ſive cum ſalibus mediis, incidentibus & colliquentibus inſtruendas. Conferunt etiam lenientia, inter quæ clyſteres emollientes, demulcentes, oleoſi. Fugiendæ ſunt purgationes actuales & aloëticæ. Si adſit plenitudo ſanguinis, venæ-ſectio in pede inſtituatur; quæ ſuſcipienda eſt extrà vehementiores & acerbiores cruciatus hyppochondriacos. Laudantur pillulæ *Sthalianæ*. Si ob fluxum in paucâ quantitate adhibeantur aloëtica, in uſu ſint moderato. Commendantur frictiones pedum & femorum cum linteaminibus calidis, ut etiam applicationes cucurbitarum cæcarum in confiniis locorum hæm., ſuppoſitoria, hyrudines, præmiſſa univerſali ſanguinis ventilatione & ani liberatione. Interponantur antiſpaſmodica, nam acerbiores ſpaſmi hanc promotionem turbant. Demùm ſi fluxus hæm. non ſufficiat aut ab eo liberari valdoperè deſideret æger, tractanda eſt affectio abdominalis primaria, quâ ſemel radicitùs debellata, ſummâ cum prudentiâ imminuenda eſt fluxio, nunquam tamen penitùs arcenda, ne ſubſequantur graviores affectus, quandoque ægrotantis vitam ſubito ſufflaminantes.

CAPUT SECUNDUM.

De morbis creatis ab hæmorrhoïdibus.

Effectum ſalutarem ſolummodò ſortiuntur hæm., quandò humorem congruum, in quantitate moderatum, ullâ abſque irregularitate, & loco proprio evomunt. Porrò ſemper non connectuntur illæ circumſtantiæ; interdùm gravia ſymptomata creant hæm. ob anomaliam, quâ ſtipantur. Itaque de morbis præcipuis, procedentibus ex unaquâque hæm. anomalarum, mentionem peculiarem jam facio.

ANOMALIA PRIMA.

De Morbis creatis ab hæm., in quibus motus nervoſi nimis intenſi evolvuntur.

Generatìm dicendo, intelligimus per hæm. anomalas, incongruos & loco, & tempore, & gradu, & regione, inordinatos, inconſtantes aut inſuficientes motus. Duplex eſt genus anomaliæ hæm., paſſivum nimirum & activum. Illa viget diſcrepantia utrumque inter genus, quod anomalia activa ſpectet regularitatem motûs hæm. eſſentialis; id eſt deſtruat harmoniam moliminum ad hæm. perrumpendas & ſuſtinendas. Anomalia paſſiva ſupponit irregularitatem in fluxu hæm. ob cauſam mechanicam. In priore fluxus eſt effec-

tus cauſæ finalis, In poſteriore cauſæ accidentalis. Sic ea eſt anomalia paſſiva, quæ producitur à viis hæm. nimis rigidis aut ſtrictis; ita ut motum & impreſſionem hæm. eludant partes illæ. Conſideratio illa partium diſtinguenda eſt ab alterâ, quæ ex motibus hæm. eſſentialiter provenit. Anomaliæ verò hæm. activæ exiſtunt, quandò natura humana ſub intentione promovendarum hæm., motus vel in defectivo, vel in exceſſivo gradu adminiſtrat, aut cum illis evagatur; undè oriuntur gravia phœnomena, quæ nec hydraulicis, nec mechanicis argumentis explicari aut concipi poſſunt. De poſterioribus ſolum dicam, eò quod de prioribus ſufficienter verba protuli in capite præcedenti, de hæm. localibus tractando.

Motûs tonici, in ſtatu naturali obſervati, pro hæm. effundendis, moderatum augmentum requiritur. Verùm fieri non rarò ſolet, ut, quoad gradum hujus motûs tonici, anomaliæ inſignes in negotio hæm. concurrant, quandò ſcilicet congeſtiones hæm. tenorem debitum tranſgrediuntur, & ſpaſmi impetuoſiores comitantur. Tùnc ſtricturæ, diſtenſiones, adeò urgentes oriuntur, ut convulſivos impetus induant. Similes affectus abdomen non tantum laborant, ſed adhuc totum corporis punctum. Undè enaſcuntur anomaliæ immoderationes, quæ multò magis refractariæ ſunt, quando plures corporis regiones ſimul corripiunt, aut ab externis in internas ab infernis ad ſupernas tranſitus occurrunt. Motus illi anomalici quandoque afficiunt viſcera, in quibus arteriæ plurimæ ſunt immerſæ; ibi producuntur major infarctus, ac congeſtoria ſanguinis coacervatio,

undè accidit quod ſubitò arteriæ ſanguinem ſuum nequidem effundentes, ſubitaneam redundantiam & majorem momentaneam extenſionem ſub ſenſu pulſatii patiantur. Eadem cauſa venarum inflationes varicoſas producit nec-non oppletiones & rupturas. Tandem ſubſtantia poroſa ipſamet in illis caſibus interdùm alterationes accipit, ut obſervare licet in effectibus, ex hepatis vitio enatis, quandò prædictæ anomaliæ viſcus illud invaſere. Si ad viſcera animum applicemus, quæ anomalicis ejuſmodi motibus ſubjacent; tales motus vagari præſertìm obſervabimus per complexum venæ portarum & connexa viſcera: illud imprimis valet de anomaliis, interdum fluxum hæm. concernentibus, licet tamen externæ hæm. anomalicis motibus invadant renes, partes genitales, collum veſicæ, veſicam ipſammet. Etiamſi ſæpiùs laborent illa organa recenſita, eadem cauſa pectus & pulmones aliquandò afficit, nec-non phœnomena hœmoptoïca ac palpitationes efformat. Comitantur adhuc motus illi anomalici doloribus torminoſis ſive per longitudinem dorſi, ſive cum alvi obſtructione contumaci. Dolores illi, ſenſationes lancinatorias mentientes, adeò adaugentur, ut graviſſimos ejulatus effundant ſubjecta. Interdùm tam vagabundus eſt motus torminoſus, ut modò ſuperiorem regionem inteſtini, modo infernam, modo totum ejus tractum occupet. Non raro accidunt moleſtæ inflationes flatulentæ, quæ ob niſum expulſorium vanum, urinæ excretionem lædunt. Non amittenda etiam ſuſpecta moleſtia expreſſionis ſpermatis ſub duriori avil depoſitione; notatu adhuc digna eſt illa anoma-

lia, quæ ad ſplenem magis tendit; tunc in organo introducuntur inflationes, anguſtationes, tentiones ſub ſcrobiculo cordis, in ſiniſtrum hyppochondriacum tranſversìm abeuntes, lancinatoriæ in illa regione ſenſationes, indurationes, cardialgiæ in lypothimias propendentes &c. Si ventriculus ante omnia torqueatur, pleraque ex prædictis pathematibus obſervantur, acerbiùsque affligunt; reperitur aliquandò vomitus cruentus cum reſpirationis oppreſſione, ructuum ataxia violenta, extruſione intercurrentibus horripillationibus, ſudationibus frigidis &c. &c. Hepar non prætermittunt illi motus; indè ſimiles enaſcuntur affectus, qui ſymptomatibus variis juxtà poſitionem ac functiones hujusce organi ſtipantur. Singularis etiam eſt illa anomalia hæm. quando ſtricturæ torminoſæ in inteſtinis tenuibus & meſenterio ſimul decurrunt. Indè colica vehemens cruciatur cum tenſione contumaciſſimâ, quæ ita angit, ita urget, ut meditullium abdominis & viſcera interna dilaniare videatur. Aſthma etiam in eodem caſu generatur, qui cum ſuffocativo confundi meretur, licet ſpaſticum aut convulſivum ſit. Adhuc ſeſe exerunt anomaliæ hæm. externæ cum moliminibus, ad mictum cruentum tendentibus, interdùm cum variis doloribus tenſoriis, gravativis, ac contuſoriis in lumbis; coccidem femora & regionem pectinis involventibus, facilem diureſim impedientibus, & alvinam excretionem reprimentibus. In iſto caſu veluti præſervatoriæ conducunt venæ-ſectiones opportunæ, in pedibus celebrandæ, hyrudines in podice. Ad curationem conducunt animi tranquillitas, alvi libertas, quâ

deficiente, expedit eamdem lenire, emollire, humectare, moderatè abſtergere & laxare. Ultimo illo effectu motus hæm. ad peruptionem faciliorem promoventur & in podice derivantur. Laudantur etiam diluentia, diæta mollis, juſcula gelatinoſa, moderatè pinguia, fructus dulces, clyſteres emollientes, ſuppoſitoria ſimplicia & omni ſtimulo deſtituta, remedia ſalina levia. Omnia illa remedia commutari debent juxtà intenſitatem anomaliæ. Addam iterùm, ad compeſcendas anomalicas commotiones, conducere temperantia, præſertim nitroſa, pulveres antiſpaſmodicos, variaque medicamina juxtà ſymptoma, dominium præſtans.

ANOMALIA SECUNDA

De morbis creatis ab hæm. cæcis.

Alia in hæm. obſervatur anomalia, quæ jam deſcriptæ oppoſita videtur; è caractere cæcitatis ſuam naturam trahit; ità ut ob fluxûs abſentiam, & conatum naturæ minùs activum aut felicem indole naturali orbantur hæm. cæcæ. Igitur ſpeciem peculiarem illæ hæm. nequidem conſtituunt, ſed conſiderandæ ſint veluti motus, ad fluxum hæm. paulò proximiùs tendentes, ad eum nequidem pervenientes, & abeuntes in vanos infarctus, veſiculares, interdùm indolentes, nec-non in recti protuberantias, niſi intumeſcentiæ, poſt multos dolores, demùm erumpant & aperiantur.

Hiſce poſitis, quam levis utilitas emergitur ex hæm. cæcis, nemo quin videat. Propterea veteres igne & ferro eas extirpare non ſunt vetiti, neque

de iiſdem aureas qualitates prædicaverunt; ſicuti naturæ conamen ſolummodò eas acceperunt. Attamen è negotio hæm. minimè excludendæ ſunt; etenim dùm ad perruptionem pertingunt, finem propoſitum impetrat natura, cùm ex nimiâ ſanguinis quantitate corpus exoneret, & functiones vitales cum iiſdem connexas rectè ordinet. Si è contrà clauſæ maneant, tunc fruſtrà applicatis motibus de tali negotio turbatur natura, & corpori ſubindè varia accidunt incommoda; quarè has cæcas hæm. ubique Medici atro carbone notârunt, & diverſis horridis deſignârunt.

Teſte experientiâ, uſitatiùs cæcæ hæm. ad externas commotiones ſpectant, quàm ad internas; aſt 1°. eo quod talis eſt indoles harum hæm., quod motus, ad hunc ſtatum collineantes, difficiliùs actualem effuſionem producant, faciliùs in infarctus, ſtagnationes, ac inflammationes tranſeunt hæm. cæcæ; 2°. eo quod externas podicis partes ſæpiùs & magis detinent hæm. cæcæ, communiùs etiam in conſenſum trahunt affectus, qui ad externarum hæm. ſtatum magis pertinent, ut ſunt nephretici, podagrici, iſchiadici, arthritici, aliique ſimiles; 3°. in podice ipſomet etiam enaſcuntur ſymptomata, quæ hæm. occluſioni originem debent; ſic aſſerit *Duret* « ficus, thymus, mariſca, uva, » condyloma non ſunt hæm., ſed ſymptomata » hæm. venarum, ipſarummet ſanguine oppreſſa» rum calamitates, quandò exitum non habent. » Similiter protulit *Hippocrates.* Utut ſit de illis effectibus, juxtà nonnullos dubioſis, inconcuſſum reſtat, quod locum præbeant aliquoties hæm. cæcæ podicis inflammationibus, abſceſſibus, ingentibus

tumoribus, ſuppurationibus, ulceribus, fiſtulis aliiſque incommodis, quæ corruptelam accipiunt, ad ſphacelum tranſeunt, febrem hecticam appellant, & mortem aliquando ducunt. Accidit etiam, quod ob conſolidationem irregularem, in verrucoſam coalitionem abeant ulcera. Demùm propter obſtacula, quæ vana reddunt naturæ conamina, & propter ſanguinem, qui cum abundantiâ in abdomen adfertur, viſcerum abdominalium affectiones quandòque apparent: hinc pathemata iliaca, hyppochondriaca, ſplenetica, cardialgica, vomibunda & flatulenta, quæ evaneſcunt ut plurimùm, quandò ad naturalem caracterem reducitur fluxus hæm. Si perturbentur cæcæ hæm., eaſdem conſecutiones involvunt, ac illæ, quæ inſequuntur legitimas hæm., offenſas aut impeditas. Turbationes illæ poſt ſe trahunt affectus hectici, icterici, œdematoſi, hydropici, nephritici, podagrici, hyſterici, inflammatoriique in plethoricis.

Ut curationem obtineamus, ſtatum irregularem promovere, & anomaliam deſtruere opportet. Verùm autem juxtà cauſam, fluxum impedientem, ſeſe gerere debet Medicus. Ne tædioſus fiam, generalia tantùm proponam. Abſtineat clinicus purgantibus nimis irritantibus, ne infarctus adaugeantur, inflammatoriaque ſymptomata enaſcantur. Non ſint adhibita interna calefacientia, volatilia; abſint adſtringentia, narcotica, carminativa acria, martialia vulgaria. Extus amittantur corroſiva, cauſtica, ſtimulantia, ſeptica; rejiciantur nimia emollientia, cùm intendit inflammatio, etiam repellentia adſtringentia, metallica ſaturnina aut mercurialia; excludantur unguinoſa pinguia, emplaſtica picea

acria. Abſtineantur præmaturâ chirurgicâ protuberantiarum inciſione & apertione, nec-non temerariâ uſtione aut cauteriſatione, denique uſu confuſo ſpecificorum.

Pro curativâ methodo maximè confert alvi excretio libera, propterea commendamus lenientia ſimpliciora diætetica alvum humectantia, & cum fluxili mucilagine demulcentia, ſicuti ſunt pruna decocta; laudamus ſalia neutra, parcâ doſi adhibita ac clyſteres lenientes. Ad uſum hyrudinum in iſto caſu confugiendum eſt, præſertim in primo ſtadio, neque improbamus moderatas ac temperativas ſcarificationes. Quandò autem minimè conſpicuæ ſunt hæm., niſi valdè inflammentur, adhibeantur. Hyrudines in podice etiam conferuntur, ut etiam pediluvia, frictiones pedum, cucurbitulæ cæcæ ad ſuras aut femora; ſi vigeant commotiones ſpaſmodicæ, ordinamus antiſpaſmodica, relaxantia, non autem calida. In temperamentis humidioribus ac phlegmaticis tententur reſolventia, &c. Dein juxtà ſymptomata, dominium tenentia, ac indolem obſtaculorum, quæ vanos faciunt naturæ conatus, ſeſe ducat clinicus.

ANOMALIA TERTIA

De morbis creatis ab hæm. excedentibus.

Antequam ad objectum noſtrum animum applicemus, intereſt perluſtratio momentoſa, quâ ſcilicet rectè innoteſcit, quid veniat intelligendum ſub nomine hæm. excedentium. Cognoſcitur hæm.

fluxus è ſuperfluâ ſanguinis profuſione, in quâ diverſæ circumſtantiæ peculiares veniunt annotandæ. Idcircò hæm. vel ſimul & prodigè prorumpunt, & brevi exceſſivæ evadunt, vel diutiùs pergunt, vel recurſu frequentiori excedentem talem decurſum induunt. Ut, ex præconceptâ opinione, quælibet liberalior ſanguinis excretio pro immodicâ non judicetur, ſedulo attendendum eſt, num ſtatui plethorico ſubjecti & ejuſdem indoli activiori correſpondeat fluxus, ita ut vix proficeret, ſi parciùs procederet, & pernicioſi conſequerentur effectus, ſi pro exceſſivo tractaretur. Neque etiam cum fluxu alvi cruento confundendæ ſunt exceſſivæ hæm., quando poſt corroſiva ingeſta, ſeptica metallica, aut virulenta, ſanguis ſincerus, interdùm cum bile mixtus, ac enormi in copiâ expellitur. Prætereà conſiderandum eſt, nùm præcurrerint cauſæ nullæ notabiles, quæ citrà directionem hæm. talem cruentationem promovent; nùm ſubjectum, ratione temperamenti, ætatis, ſexûs, conveniat cum hæm. abundantibus; nùm prægreſſæ ſint cauſæ, ad hæm. concitandas ac impellendas, plurimùm valentes; nùm ratio diſpoſitionis hæreditarii concidat; nùm, anteà fluxu hæm., ratione quâcumque ſufflaminato, fuerit correptus ægrotans, &c. &c. Hiſce ritè perpenſis, norma detegitur, juxtà quam talis fluxus eſt æſtimandus.

Fatentur omnes, quod dirus hydrops excedentes hæm. ſequatur: pravæ aliæ affectiones inſequuntur, inter quas potiores ſunt, juxtà *Alberti*, cachexiæ, œdemata, tympanitis, hydrops, skirri interni, cortupti affectus icterici, morbi ſpaſmodici, indurationes ominoſæ alvi, affectus attrophici, pertur-

bationes vertiginoſæ, paralyſes, procidentia ani, melancholia, cardialgia, flatulentæ paſſiones, febres contumaces hecticæ, appetitus & coctionis vitia, &c. &c.

Quando exceſſivæ ſunt hæm. ob earum diuturnitatem, tunc plurimi generis ſunt ſymptomata conſequentia. Alia, ob nimiam ſanguinis quantitatem deperditam, ad morbos cachecticos ducunt; alia ob tendentiam motuum nervoſorum, quæ à fluxu hæm. continuo versùs abdomen ſollicitantur, merè ſunt nervoſa; ſic mulieres affectibus nervoſis frequentioribus detinentur propter directionem motuum, quam promovet plures per dies in quocumque menſe fluxus menſtrualis. Idem accedit apud hæm. chronicas. indè ſequitur, quantum valent in illo caſu media diœtetica, quæ, ad illam diſpoſitionem debilitandam, valent, & effectus hujuſce tendentiæ motuum præcavere poſſunt. Notandum tamen, caracterem atonicum ſemper ſervari ab illis affectibus nervoſis, ita ut quid effectûs deperditionis humoralis apud eos reperiatur, quod in ſelectu mediorum adhibendorum maximum confert.

Ex conſenſu omnium, cardinem curationis faciunt aſtringentia, cum revellentibus maritata. Præſertim quando abundantius, quam par eſt, fluunt hæm., quod denotatur à facie pallida, viribus fractis, pulſu debili & inæquali. Aſt methodus, adhibendi remedia prædicta, eadem non eſt apud omnes; alii ſubito ad revellentia deveniunt; ſed timendum, ne versùs ſuperiora citò rapiantur humores. Alii cum aſtringentibus fortioribus morbum debellant, verùm autem periculum nequidem

evadunt. Volunt meritò cæteri, alterutra adhibendo, purgantia leviter adſtrictiva adminiſtrari, quorum ope motuum tonicorum nova & ſubitanea tendentia impeditur, dum conſtrictionem in podice derelinquunt. Addere debemus 1°. quod ad fortiora aſtringentia ſtatim non recurrendum ſit, ſed gradatim; ita ut novæ diffuſioni motuum ſeſe aſſueſcat natura 2°. quod hìc valeant remedia, plethoram præcaventia, ſicuti dieta vegetabilis, exercitia, frictiones &c. 3°. quod raro indicetur venæ ſectio, eo quod ad hydropem pectoris ſæpè conducat.

ANOMALIA QUARTA

De morbis creatis ab hæm. vigentibus in locis inſolitis.

Observantur in viis inſolitis hæm., quæ hæmorrhagiæ podicis ſuppreſſæ aut turbatæ vices ſupplent, & veluti vicariæ ipſiuſmet conſiderandæ ſunt. Natales ducunt illæ hæm. anomalicæ tum ex eo quod, in podice ſuppreſſus fluxus hæm. apparet in alio loco, qui cum vaſis hæm. valdopere conſentit; tum ex eo quod verſus aliud organum, ob circumſtantias turbantes ac mutabiles, motu ſuo primario direxit natura. Porro in illis evagationibus generantur morbi plurimi, propter organi indolem, in quo deponuntur fluida, & quod abſque læſione momentosâ raro hæmorrhagiam pati nequit. Quando in utero irruunt fluida, hæm. anteà efformantia, quod frequentiùs

tiùs accidit, ſeu ob identitatem naturæ, vigentem inter menſes & hæm., ſeu ob communicationem vaſorum, podicem & uterum nectentium. Tunc effectus aliquando periculoſi obſervantur, minus tamen frequentes ac noxii ſunt, eo quod hæmorrhagiæ ſanguineæ ex naturâ ſuâ inſervit uterus. Nihilominùs omni effectu infelici ſemper non orbatur ille fluxus anomalicus, præſertim, quando depravatione nonnullâ jam corripiuntur fluida, verſus uterum irruentia. Reſpectivi ſunt humorum alterationi effectus ſortiti, licet tamen ſæpiùs obſerventur fluor albus, polypus, tumores, cancer, &c. Si in collum veſicæ deponantur fluida, nonnunquam urinæ excretio penitùs impeditur, quandoque etiam mictus cruentus vicario quodam levamine hæm. ſubſervit. Si vagina ſedem morbi offerat, à leviſſimo tactu producitur hæmorrhagia ingens. E naribus defluit interdum inſolita aut anomala illa hæmorrhagia. Illud accidit 1°. quando ad fluxum hæm. prorumpendum natura laborans, in ſuo opere turbatur, intervertuntur motus nervoſi, & verſus caput diriguntur. In illo caſu ad nares molimina ſua tendit natura, locumque illum eò jucundiùs ſeligit, quò eâ viâ humores excedentes, caput gravantes, ſeſe quotidie exonerat. 2°. Etiam obſervatur illud phœnomenum, cum per ætatem infantilem afficiebatur ſubjectum hæmorrhagiis narium, quibus ætatis accremento ſucceſſerunt hæm., ſi quidem quoties turbatur evacuatio recens, apparet prior olim ſuppreſſa, quam præcedunt ut plurimum affectus ophtalmici, viſûs obſcurationes, ſpaſmus cynicus, aurium tinnitus, auditûs gravitas, rariùs angina, vertigines, para-

plegia, affectus comatoſi, aliique morbi, ſuam ſolutionem perfectam in fluxu narium reperientes, dùm ad mortem ducunt non raro, ſi non accidant hæmorrhagiæ vel narium, vel oculorum, aurium, gencivarum, faucium, quæ magnoperè proſunt. Timendum adhuc, ne in organis, è quibus profluit ſanguis, alterationes enaſcantur. Narrat *Alberti*, ex illâ causâ verrucoſam carnoſam valde ſanguinolentam in narium latere dextro fuiſſe ortam, quæ brevi augeſcebat cum faciei deformatione. Quò magis coſmetica & topica corrodentia adhibebantur, eò major erat affluxus, & tumoris accretio. Aſſerunt alii, ex eâdem causâ ulcera naſi, caries &c. fuiſſe enata, quoties caractere acri laborabat humor defluens.

Si è capite ad pedem deſcendamus; pedum varices videbimus, motus aut fluxus hæm. accipere. Indè deducendi ſunt aliquoties affectus podagrici, iſchiadici, arthritici, aliique, quos evalvunt motus humorales perturbati, ad pedes vergentes. Inflammationes ereſipelaceas ac rheumatiſmos in membris externis identidem etiam conſtituunt molimina hæm.. Conſenſum prædictum inter varices pedum & hæm. noſcebant omnes vete» res. Dixit *Hyp. varices ſunt familiares viris,* » *qui ob ſexum & ætatem hæm. ſunt obnoxii* » ſcripſit etiam *Galenus* quod, ſi varices intempeſtivè tollantur, appareant fluxus hæm., aut alia pathemata, quæ cum negotio hæm. turbato conveniunt. Si propriùs ad hæm. confinia accedamus, inter vias inſolitas, quas aggrediuntur hæm., pectus annotabimus, quod non tantùm moliminibus hæm., ſed etiam vicariis eruptionibus ſangui-

neis actualibus occupatur. Tunc ſuccedit aliquandò hæmophtoës, cui fluxus hæm. remedium efficax offert, ut etiam hyrudines, pluries in podice admoti. Sed ſi non tententur illa media, vel nullâ efficacitate donentur, quantâ cum facilitate ſuccedit phthiſis, omnes noſcunt clinici. Pleuritidem & peripneumoniam motus hæm. in pectore etiam commemorat. Inter vias illas inſolitas, quas motus hæm. occupant, meretur adhuc nominari ventriculus, in quem non modo turbatæ hæm. motus ſuos eluctarios tranſmittunt, ſed perquem aliquando eædem eructant; porrò quantâ cum celeritate affectus plurimi, mors ipſamet vomitus cruentos repetitos ſequuntur, confitentur omnes. Prætereà non perrumpunt ſemper in ventriculo hæm., tantum vigent pluries contentiones vomitoriæ, quæ inflammationem hujuſce organi determinant, ſi vehementes & ſæpè repetiti ſint conatus hæm.. Nunc ultimâ pro concluſione dicam, quod ſemper minùs felices ſint hæm. in locis inſolitis, eò quod ad anomalicas commotiones pertinent. Verum eſt quod quodam ſub reſpectu vicaria talis evacuatio uſum generalem habeat, attamen uſus ille non adeo conſtans, genuinus & ita ſpecificus eſt, qualem propria & legitima hæm. profuſio promittit. Etenim 1°. quò ſæpiùs hæm. ex inſolitis viis erumpunt, eò certiùs aliæ ſingulares alterationes regionum inſolitarum accidunt, & faciliùs reliqua œconomia vitalis in peculiares perturbationes incidit, 2°. eò ominoſiores ſunt tales evagationes hæm., quo ſubjecta vel adultiora, vel animo vel genere vivendi, magis immorigera & ſenſibilia exiſtunt, undè faciliùs

tales degenerationes hæm. in deteriores conſecutiones ruunt, 3°. quo magis natura in tales vias inſolitas per medicamina incongrua fuit provocata, eò firmiùs legitimus fluxus hæm. occluditur, eòque certiora aliaque ſymptomata conjunguntur, demùm eo tractatu delicatiùs totum eſt negotium. 4°. Quò decubitus in inſolita loca adolevit, ac motus hæm. in viis inſolitis, in nudo molimine ſubſiſtunt, tunc longe plura & graviora incommoda metuendæ ſunt.

Therapeïa vel eſt curatoria vel præſervatoria; prior commendat tempeſtivam laxationem, ſeu veluti derivatoriam ſeu veluti revulſivam; hîc conducunt rhabarbarina, parca & correcta aloëtica, minus helleborina, clyſteres magis lenientes quam acres, ſuppoſitoria ejusdem generis. 2°. Præſtat motus excurrentes in vias inſolitas mitigare magis quam ſupprimere, ni ſit periculum in morâ; itaque conveniunt remedia nitroſa, abſorbentia &c. 3°. Interponenda ſunt diluentia, humectantia, emulſiva, lacticinia, decocta mucilaginoſa & gelatinoſa, nimiam ſanguinis commotionem turgefactoriam cohibentia. 4°. In quibuſcumque caſibus conducunt pediluvia, frictiones regionum femorum, cucurbitulæ admotæ in eodem loco. 5°. Concedantur, quæ digreſſiones hæm. coercent, varianda ſunt illa juxtà cauſam primariam evagationis, ſed in genere valent tonica & ſedativa auxilia, utraque ſint mitia abſque abſtrictione. Semper alvina excretio ſit libera. 6°. Tententur quæ, diaphoreticum effectum poſſidentia, congeſtiones & evagationes diſſipant.

Quoad therapateïam præſervatoriam & pallati-

vam, expetit in adhibitione remediorum ſummas cautelas, imprimis dum motus hæm. derepentè ex inſolitis viis duci debent, itaque conveniunt venæ-ſectiones in pede, non autem nimis repetitæ, ne majores depravationes quam emendationes inferant. Dein admoveantur hyrudines in podice, quæ pluries repeti poſſunt, ſi urgeat neceſſitas. Conducunt frequentes laxationes cum aloëticis correctis: proficiunt in quibusdam pediluvia, frictiones pedum, cucurbitulæ cæcæ in podicis confinio, clyſmata lenientia, ratione commotionum ſpaſmodicarum, inceſſus, dieta congrua, pillulæ ſthallianæ &c.

CAPUT TERTIUM.

De moliminibus Hæmorrhoïdibus ſalutiferis.

Jam diximus morbos plurimos ab hæm. generari; propoſitionem contrariam argumentis plurimis ſuffulcire nitimur: ſcilicet quod hæm. congruæ, nequidem locales, eorum ob molimina ſemper activa ſalutem ſervent & morbos per graves præcaveant. Ad illud comprobandum duplici ſub aſpectu de objecto tractando diſquiram; 1°. hæm. legitimas, veluti longævitatis cauſam, conſiderandas eſſe; 2°. ab ipſiſmet ſufflaminatis anſam dari morbis pernoxiis, ſtatuam; hiſce poſitis, fluet, ni fallor, directa concluſio, hæm. congruas inter ſalutiferas evacuationes ordinans.

ARTICULUS PRIMUS.

Hæm., velutì longævitatis cauſa, conſideratæ.

OMNES juxtâ Philoſophos ac Medicos, *totus homo à nativitate morbum offert*; *naſci ægrotare eſt*, *vivere ſæpè mori.* Aſt ut corpus animale à corruptione ſemper imminente præſervetur, & finem vitæ, à creatore præfixum, attingat, non ſolum vigent in œconomia animali per ſtatum naturalem vires antiſepticæ & expulſoriæ, quibus præcaventur effectus putrefactorii, & eliminantur nociva extranea; ſed adhuc eo quod extraordinariæ quædam periclitationes & alterationes paſſim occurrunt, inconſueta etiam adhibet natura ſubſidia, vitam animalem ſubſtentantia, è quorum numero hæmorragias ſpontaneas recenſere placet, inter quas peculiari commendatione, in ætate præſertìm adultâ, fluxum hæm. collocamus. Omnes noſcunt Pratici, quantum valent, ad morborum generationem præpendiendam apud infantes, hæmorragiæ narium, apud mulieres fluxus menſtruales, apud puerperas lochiæ, addo apud adultos hæm. Etenim nonne eadem commoda afferunt in illa ætate hæm., ac in aliis vitæ ſtadiis evacuationes, eis propriæ? Sufficit, ut admittatur illud dogma quod penſitentur fontes malorum, adultis propriorum. Porrò

humorem, dominium tenentem & plethoram peculiarem efformantem, imminuit fluxus ille; ſiquidem vel ſanguinea eſt plethora illa, quæ accidit quando tale dominium adeò tenebat diatheſis ſanguinea apud juvenem, ut longiùs protrahatur; vel diatheſis illa fuit deſtructa ab ætate ſubſequenti ſeu adulta, & biliosa alteratio ei ſucceſſit: porrò in utroque caſu conducit fluxus hæm., pro ut externus vel internus ſit. Reipsà in priori caſu evacuatur præſertìm ſyſtema arteriale ac infirmatur plethora ſanguinea; in poſteriori imminuitur præprimis ſanguis venoſus, exonerantur-que viſcera, venam portæ ſpectantia, ventilatur cruor in omni ſyſtemate venoſo nec-non abdominali circulans. Ergò ſub omni reſpectu commoda infert fluxus hæm.: præterea, ut plu-ries dixi, verſus abdomen vergunt motus tonici apud adultos; indè loci affecti obſervantur ferè ſemper apud viſcera abdominalia in ætate adulta; atqui fluxûs hæm. ope, directè evacuatur abdomen, ſublevantur viſcera hujusce regionis, quæ tùnc fiunt capacia infarctus vitandi, aliosque affectus, in eis generatos, ſuperandi.

2°. Penitus remota conſideratione influxus ætatis in generationem morborum, nemo quin percipiat, multum inſervire hæm. ad deſtruendam virium oppreſſionem à ſanguinis pondere aut quantitate efformatam; ſiquidem aucto pondere, augeri debent motus & vires, ni mox ſanguinis vel ſpiſſior & immobilior vel impurior fiat, vel ſuſpectis ſtaſibus & oppreſſionibus inſerendis ſubjiciatur; aſt, quo conſtantiùs adaugentur vires; eo certiùs in poſterum imminuuntur, ac inhabi-

les redduntur ; ergò ſtatum illum , vires ſufflaminantem , deſtruendo hæm. , ſalutiferæ fiunt. Verum eſt quod ſanguinis quantitatem nimis parcam diffundere aliquandò videantur hæm. , ut effectus prædictos creare poſſint ; verùm autem minor requiritur ſanguinis effuſio , quandò natura ipſamet eam promovet , quam ſi ex arte oriatur , ut idem ſortiatur effectus. Sic , teſte experientia , febris ardens phlogiſtica , in eodem gradu intenſitatis poſita , ab hæmorrhagia narium , parcum ſanguinis quantitatem mittente , ſolvitur ; dum plurimæ venæ-ſectiones eodem in caſu ad curationem minimè conducunt.

3°. Cum longævitati & ſanitati maximè adverſetur illa quantitas ſanguinis depravata , quæ ſpiſſitudine vel craſſitie ſeſe ſiſtit , & ad circulationem idoneum minimè ſanguinem reddit : ſequitur quod hoc vitium avertendo , cauſa longævitatis fiant hæm.. Porrò auxilium prædictum affert fluxus hæm. , deplendo , liberando & ventilando ſyſtema vaſculoſum abdominis , in quo faciliùs ſanguis ſpiſſari ſolet. Teſte enim experientiâ , ſi ſanguis in ſuſpectam craſſitiem inclinet , tantùm juvat hæm. fluxus , ut, ventilata vena-portarum & viſceribus cohærentibus exoneratis , reliquus ſanguis faciliùs & efficaciùs per abdomen profluat , & novam fluiditatem acquirat.

4°. Occurrit adhuc peculiaris conſideratio , quandò videlicet hac ratione hæm. longævitatem adjuvant , dum imminentes diverſorum morborum confirmationes & exacerbationes intercipiunt. Etenim invadunt interdùm aſthma, phthiſis, coma, vertigo , hydrops , edœma , icterus , skirrus ,

hepatis aut lienis, hyppochondria, malum ſchiadicum, arthritis, rheumatiſmus aliique morbi, qui nullam certè longævitatem conciliant; porrò horumce morborum ſanationes, fluxus hæm. ope, teſtantur plurimæ obſervationes. Notandum tamen, quod nec in omni gradu nec in omni ſpecie ſucceſſus proſperos evolvat illa evacuatio; ita ut percipiant omnes, quanta frivola & petulans foret noſtri principii generalis extenſio.

5°. Dum virtutem tam celebrem in fluxu hæm. agnoſcimus, & cauſam longævitatis eam prædicamus, minimè congruit hanc aſſertionem ad omnia ſubjecta ac indifferenter extendere. Ut ſalutiferus ſit, expoſtulat fluxus hæm. exquiſitas circumſtantias in ſubjecto, tum quoad ejus gradum, tum quoad temperamentum, ætatem, vitæ genus &c. Illis tantùm ſubjectis, quæ ad motus hæm. proclivia ſunt, hic fluxus illiusque debitus ſucceſſus & optandus & promovendus & conſervandus eſt. Qui eo fluxu, legitimè ſuccedente, gaudent, caveant ne diæta perverſa, adverſo regimine, animi perturbationibus, inordinato vitæ genere, &c. noxius fiat ille fluxus. Abſtineant ab ejus irregularitate, ſollicitè fugiant artificia & tentamina medica, nimium numeroſa; non adverſentur tandem exiguas illas moleſtias, fluxum hæm. ut plurimum concomitantes.

Semper in memoriâ revocet lector, quod omnia præcepta, toto in iſto ac præcedenti capite expoſita, ſpectent tantummodò hæm. activas, & nullam relationem poſſideant cùm paſſivis, de quibus mentionem minimam nequidem hîc adhibemus, propter earum indolem, objecto noſtro penitùs repugnantem.

ARTICULUS SECUNDUS

De morbis fluxui hæm. incongruè ſuppreſſo ſuccedentibus.

Omni in ævo opus tanquàm periculoſum, effectuſque nocivos poſt ſe trahens, incongrua hæm. ſuppreſſio fuit judicata. Sufficit ad veritatem hujuſce propoſitionis agnoſcendam, ut opera collectorum evolvantur. Itaqne dixit *Hippocrates* « qui hæm. » habent neque pleuritide, neque peripneumonia, » neque phagedena, neque furunculis, neque tu- » berculis, terebinthi figuram habentibus, corri- » piuntur, fortaſſis autem neque lepris, fortaſſis » neque vitigilinibus, multi tamen intempeſtivè » curati, talibus non tardè ſunt correpti, & ſic » pernicioſæ fuerunt. » (Facilè quiſquam percipere poterit, ſicuti annotent *Alberti, de Haën*, aliique, quod hic textus nihil aliud inferat, quam ſi hæm. ſupprimantur.) Addit *Galenus* « quis ignorat, » pleroſque in melancholiam inſaniamque incidiſſe, » hæm. inſcitiâ Medicorum ſuppreſſis? Alii dolore » lateris, alii renum vitiis ſunt correpti, aliis ac- » cidit, ut ſanguinem è ventriculo vomant, aut » ex pectore tuſſi ejiciant, aut paraplegia, aut » hydrope oppreſſi, intereant. » Legitur etiam apud *Celſum*, de hæm. agentem « in quibuſdam » parùm tutò ſupprimitur, qui ſanguinis profluvio » imbecilliores non fiunt, habent enim purga-

» tionem hanc, non morbum: itaque curati quidam
» cum ſanguis exitum non haberet, inclinatâ in
» præcordia ac viſcera materiâ, ſubitis & graviſ-
» ſimis morbis correpti ſunt. » Addit *Bonet*, de
hæm. loquendo « fluxus hic etiamſi non ſit con-
» ſuetus, uti menſtruus ac proindè illis, quos pri-
» mum invadit moleſtus ac faſtidioſus, impediri
» tamen ac ſupprimi nullo modo debet, cùm na-
» tura, per tam utiles & tam neceſſarias evacua-
» tiones moliendo, morbos imminentes ſæpè avertat,
» præſenteſque curet. » Cæterùm, qui conſiderat
quot, quantoſque tùm acutos, tùm chronicos
morbos, ſivè plethora ſana morboſave, ſivè caco-
chimia peculiaris, olim evacuari ſolitæ, jam reti-
neri cæptæ, neceſſariò debeant generare; ille mi-
nimè mirabitur, tot morbos ab illâ causâ effor-
mari, ſi *Haënium* audiat « pleuritis, peripneu-
» monia, phrenitis, paraphrenitis, ſplenitis, he-
» patitis, gaſtritis, interitis, nephritis, iſteritis,
» apoplexia, convulſio, tetanus, febris ardens,
» à ſolâ plethorâ ſuppreſsâ originem ducere poſſunt.
» Phthiſis à retento hæm. fluxu naſci ſolet; ſivè
» quod peripneumoniam pleuritidemve ſequatur
» illa, ſivè quod ex nutritione nimiâ, exercitio
» non diſſipatâ, fuerit nata; hydrops oritur, quando
» ſtagnans plethora, cacochimiam producit cujuſ-
» modi exempla cachecticæ & hydropicæ feminæ
» nobis exhibent poſt menſtrua ſuppreſſa. Maniam,
» paralyſim ſimileſque morbos, atrabilaria ſpiſſi-
» tudo generat, prout ad encephalon, nervorum-
» que ſivè origines, accubuerit. » Teſtimonia
alia practica cumulare difficile non foret, ſenten-
tiam ſimilem *Zacuti Luſitani*, *Foreſti*, *Skenkii*,

Tulpii aliorumque, ab obſervationibus plurimis collectis comprobatam, recenſendo: ſed ſufficiant prædicta, tùm ob diſſertationis limites, tùm eo quod de objecto, nunc tractando, paſſim in lineis ſupernis plurima à nobis fuerunt prolata; tùm eo quod ab omnibus, experientiam practicam audientibus, accipitur noſtra propoſitio. Idcircò diſſertationi meæ finem adimponam, dua tantummodò annotando 1°., quod licet inter difficiles ſcopos collocari mereatur notio ceſſationis ſpontaneæ naturalis ac congruæ fluxûs hæm., ita ut facilè cum ſtatu oppoſito ſæpè confundatur; attamen animus attentus objectum attinget conſideratione, ſeù cauſarum præcedentium, quæ ad hæm. arcendas valent, ſeù ſtatûs ægrotantis, ſuppreſſionem illam ſubſequentis, ſeu naturæ affectionis vigentis, ſeu præſentiæ aut abſentiæ conditionum hæm. apud ſubjectum, licet evanuerit fluxus hæm.; 2°. quod ſalutiferum tantum nuncupemus fluxum hæm., ſupponendo cauſam morbificam jam vigentem aut imminentem; ita ut, ſi, invito conſueto influxu ætatis aliarumque circumſtantiarum, morbum generantium, ſanitate perfectâ gaudeat ſubjectum, tunc fateamur, non ſolùm vanas ſed nocivas ut plurimùm fieri hæm. Ergò jam prædicta circà qualitatem ſalutiferam hæm. veniunt intelligenda de ſtatu morboſo, vel ad morbum imminente, qui eò frequentiùs obſervatur, quò morbum plûs minùſve intenſum juxtà plurimos ſemper offerat homo, & imaginarium ſit temperamentum perfectum, de quo dixerunt veteres. Prætereà multò minùs neceſſaria nobis videtur illa reflexio, eò quod molimina activa nunquam movet natura, ni mox

urgeat aut minetur morbus. Idcircò ad objectiones præcavendas hanc annotationem tantùm poſui, nam timemus Danaos etiam dona ferentes.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

Nobiliſſimi & Sapientiſſimi Anteceſſores Regii.

N. D. PAULUS-JOSEPHUS DE BARTHEZ, *Cancellarius & Judex.*

N. D. GASPARDUS-JOANNES RENE, *Decanus.*

N. D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

N. D. FRANCISCUS VIGAROUS.

N. D. JOANNES SABATIER.

N. D. JOANNES-CAROLUS DE GRIMAUD.

N. D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

69-37
Thomas-Sch
8-5-68

E788
L235d